

verbis Cap. I. v. 4. ubi propheta conqveritur de Legis neglectu, injustis judiciis & suppressione justorum. Eadem peccata in principio regni Jojakimi redarguit Jeremias Cap. XXVI. v. 1. & 4. *Sic dixit Dominus; si non parueritis mihi, & ambulaveritis in lege mea, quam dedi vobis, & non audiveritis verba servorum meorum, prophetarum, quos mitto ad vos, quos sedulo mitto, & vos non auscultatis, ponam domum istam sicut Silo. &c.* Sunt alia, præter hæc, indicia, ex quibus cognoscimus, Habakukum vaticinatum esse brevi, ante Nebucadnezaris primam invasionem, tempore. Cap. I. v. 10. dixit propheta, regem Chaldæorum, irrisurum esse reges & principes, notum vero est, Nebucadnezarem irrisisse Jojakimum Regem Judæ, quem Necho Rex Ægypti constituerat, cum eum captivum abduxit. Irrisit quoque ipsum Necho Ægypti regem, cui plurimas ditiones abstulit, quod ex infra dicendis certius constabit conf. 2. Reg. XXIII. 31. 32. 33. 34. & 2. Chron. XXXVI. 6. Porro advertenda sunt, quæ noster propheta dixit Cap. III. v. 26. *Se quiescere debere ad diem angustiae, ut adscendat ad populum, quem oppugnabit (hostis) inspicere verba hebræa.* Ex quo constat, prophetam nostrum divino mandato adscendere debuisse ad Judæos a Chaldæis devastatos, ut eos solatio erigeret. Alia leviora mittimus.

§. 5.

Plures sunt interpretes, qui nostrum prophetam Regis Jehojakimi tempore sua edidisse oracula, statuerunt, suoque calculo nostram sententiam approbarunt. Doctissimus Ufferius in Annalibus Habakuko locum assignat Anno Mundi 3395. & ante Christum natum 609, eo ipso tempore, quo Jehojakimus regnare cæpit, &

A 3

Jere-